

VATICINIUM  
EX TRIPODE,

SEV EX TRIBVS VIRTVTIBVS,  
PIETATE ERGA DEVM, MVNIFICENTIA  
ERGA SVBDITVM, RIGORE ERGA SEIPSVM,  
QVIBVS

OPTIMVS PRAESVL  
CELSISSIMVS, AC REVERENDISSIMVS  
DOMINVS DOMINVS  
SIGISMVNDVS  
CHRISTOPHORVS

ARCHIEPISCOPVS, ET S.R.I. PRINCEPS  
SALISBURGENSIS, S. SEDIS APOSTOLICAE  
LEGATVS NATVS, GERMANIAE PRIMAS etc.etc.  
EX ANTIQVISSIMA, ET ILLVSTRISSIMA PROSAPIA

*Monast.* S.R.I. COMITVM *Schyrensis.*

DE

SCHRATTENBACH etc.etc.

EMINET, HAVSTVM,

ET

EIDEM DOMINO DOMINO SVO CLEMENTISSIMO  
A SVBIECTISSIMIS MVNIS IVVAVIENSIBVS  
IPSI KALENDIS IANVARIIS


ANNI CIO ICCCLXIII

CONSECRATVM.

SALISBURGI,

Typis Ioannis Iosephi Mayr, Aulico - Academici Typographi  
p. m. Haeredis.

*Author: Placidus Schaert, Andecensis*



# INGRESSVS.



**SOL** duodena suo peragrauit sidera cursu,  
Atque nouam verso corripit axe viam.  
Iamque December iners, niuibusque grauatus, et annis,  
Mensibus opposuit, clausus et ipse, seram.

Temporis, ecce tibi, bifrons melioris origo  
Ianus adest : Iani candida templa patent.  
Iani templa patent, nullos paritura furores,  
Nec iam purpureae martia signa necis.  
Lactantur iustique senes, comptaeque puellae,  
Insonat et festos virque, puerque dies:  
Cumque anni facie vestes renouantur, et ora,  
Atque omnes habitum temporis huius habent.  
Feruida vota volant : redduntur feruida vota,  
Quilibet et socio, quod vouet ille, vouet.  
Splendida nunc serui dominorum limina pulsant,  
Spemque datam referunt, dum bona verba ferunt.  
Nunc nuptae coniux, nunc optat nupta marito  
Prolem, diuitias, tempora longa, polum.  
Quodque patri natus, dicit quoque filia matri;  
Nec modicum verbis dulcibus omen inest.  
Quocumque adspicias, occurrunt vota, precesque :  
Augurium felix angulus omnis habet.

Excutit hoc strepitu commota Thalia soporem,  
Ipsaque Patronis officiosa venit :  
Quorum prima tenes subsellia, **MAXIME PRINCEPS**,  
Dulcis apollinei cura, salusque chori.  
**TE** Musae celebrent, **TIBI** thura canora litentur,  
**TE** resonent latiae carmina culta lyrae.

O TVA si possem versu contingere facta!  
O mea sint votis congrua verba meis!  
Sed mihi contracto feriuntur barbita plectro,  
Nostraque sunt gestis ora minora TVIS.  
Hei mihi! quid faciam? quo languida brachia tendam?  
Quis praebet nostro gnossia fila pedi?  
Grandia vota feram? votis fors ludor ab ipsis;  
Grandia dicuntur vota carere fide.  
Saepe leues venti cum velis vota repellunt:  
Fallitur euentu spes bona saepe suo.  
Ne mihi fors eadem cantanti retia ponat,  
Hei mihi! quid faciam? quo mea naus eat?

Ludor? an optatam tendit mihi Graecia dextram,  
Fertque meis, missio munere, rebus opem?  
Graecia, phoebeis celeberrima patria Delphis,  
Queis nihil in toto notius orbe fuit.  
Tu clari tripodis quondam fidissima custos,  
Nixa tribus pedibus, fata futura doces.  
Tu mihi per tripodem venientia tempora monstra,  
Vel trinum, sapiens Graecia, mitte pedem.  
Huius erat virtus, venientem pandere sortem;  
Huic summi patuit diphtera sacra Iouis.  
Vellem ego, si liceat, venientem pandere sortem:  
Vellem ego contacti noscere sacra Iouis.  
Graecia, mitte pedem, quo condita secula lustrem,  
Vates Principibus verior inde viris.  
Ne mea deflectant a certo tramite verba,  
Ne mea vota cadant, Graecia, mitte pedem.  
Praescius hic oculos venturum fixit in aevum:  
Tempora praedictis consona rebus erant.  
Craesus Halym penetrans hinc busta, et funera cernit:  
Hinc, sua quam deceant oscula, Brutus habet.  
Quum stupet Augustus non facta silentia Dium,  
Hebraei cunas Numinis inde legit.  
Aptior haud ullus nostro pro carmine pes est,  
Vndeno quamuis iam pede constet opus.  
Tunc mea verba suis firmaret idoneus auctor:  
Plus, quam vota solent, tunc data vota forent.  
Ne meus ergo labor steriles decerpat auenas,  
Vati docta tuo Graecia mitte pedem!

Haec ego dum vanus posco, quae nostra libido est,  
Fit mea mens culpae certior ipsa suae.  
Sordida quo rapiunt ficti mendacia Phoebi?  
Quo stolidum pectus delphicus error agit?  
Desiit ille tripus, lubricas delapsus in auras,  
Desiit et clarii nomen inane Dei.  
Nil restat, nisi fama leuis de diuite templo;  
Cetera contemptus pabula puluis habet.

Hoc pereunte mihi succisa in gramine spes est :  
Cui superincumbat, non habet illa pedem.

Terra negat, placidum forsan dant sidera portum ;  
Sidera saepe ferunt, quod mala terra negat.

Numina, stellatis habitantia sedibus, et vos,  
Caelestes animae, quas domus alta tenet!

Vos ventura mihi faciles euoluite secla,  
Ut tutum pateat carminis huius iter.

Vos facite, ut melior tripodis succurrat imago,  
Regula quae fati certior esse queat.

Audior! emoto decedunt cardine stellae :  
Astra suum pandunt non inimica sinum.

Candida conspicuum demittunt nubila peplum :  
Aula superna, prius non mihi visa, patet.

Iamque TRIPVS vacuo suspensus in aëre fulget :  
Diuorum patriam pes habet iste domum.

Ardua dissimili nituntur fulcra metallo :  
Materie triplici machina tota nitet.

Primus ab ingenuo pes est spectabilis auro :  
Proximus argento, tertius aere riget.

Huius in oppositum iubeor mea lumina lumen  
Vertere ; nam voti nuntius iste mei est.

Huius in oppositum verto mea lumina lumen :  
Nuntius et voti sit, precor, iste mei.

Sidera ! quid vates tanto pro munere debet ?  
Vos dubium certa sustinuistis ope.

Vos, precor, ad calcem coeptam deducite telam,  
Vena rudis metam ne cadat ante suam.

Ergo age, digne TRIPVS, instantes prodito soles !  
Tu mihi dux, testis tuque laboris eris.

TE tamen ante alios poscunt mea carmina, PRAESVL !  
Nomine sub cuius non malus augur ero.

TV si tranquillo dignabere lumine versus,  
Ipse leges fidi nuntia verba poli.

Namque ego diuino monitu, ne vota repellas,  
Aduchor, et precibus non leue numen adest.

Soluo ratem : validus sinuat mea carbasa ventus :  
Prouchor. In lucro est, quae datur hora mihi.



# PARS PRIMA. PIETAS ERGA DEVM.

QVID spectasse iuuat tripodis portenta recurui?  
Non oculis tantum sunt data signa meis.  
Vfus inest formae : superat virtute figuram.  
Exterior species commoda pauca dabit.  
Illius interior vis est, quae condita pandit :  
Nonnisi detracto cortice grana patent.  
Quis tamen exta pedis certa mihi lege reuelat ?  
Quae mihi phoebeam Pythia praebet opem ?  
Haec ego dum tacita diuinans mente reuoluo,  
Lucidior visus, quam fuit ante, locus.  
Incluta tum Virgo, faciemque simillima Diuis,  
Grata repens oculis obtulit ora meis.  
Vestitus niuei candorem corporis aequat :  
Dextra tenet sceptrum : tempora laurus obit.  
Vix bene conspectam licuit cognoscere formam :  
*Virtutis*, dixi, tu mihi nomen habes.  
Nec mora. Fassa suum *Virtus* pulcerrima nomen,  
Edidit hos nobis ore rubente sonos :  
Disce, nihil dubius, vates praesage futuri,  
Appensi tripodis quid sibi signa velint.  
PRAESVLIS haec summi, quem *flumina falsa* verentur,  
Pro vitae meritis candida fata dabunt.  
Trina TVO virtus reliquas in PRINCIPE vincit :  
Hinc pariter triplici machina fulta pede est.  
Quilibet instantis pandet tibi stamina Parcae,  
Quemlibet ingenio si meditere tuo.  
Dixerat : et vultu, si plura requirere vellem,  
Se mihi difficilem non fore, fassa suo est.  
Sumpsi animum, gratesque Deae non territus egi :  
Inde loquor, spectans, paucula verba, *pedem*.  
Dic age, nata Diis, quae *primo* condita *fulcro* ?  
Quae mihi *pes primus* pro DVCE vota dabit ?  
*Aureus* hic radiat, nec fuluis ignibus impar,  
Materia vires exserit ipse suas.  
Quaesieram paucis : sed pluribus illa morata,  
Rettulerat dictis talia dicta meis.  
*Pes*, quem cernis, ait, notae PIETATIS imago est,  
Qua TVVS ILLE DEVM, qua Superosque colit.  
Haec illa est PIETAS, quam toto pectore nutrit :  
Huius in ardenti viscere flamma calet.  
Et merito *Virtus pedis* haec sub imagine fulget ;  
Hac nixus properam carpit ad astra viam.  
Si *pedis* id nomen PIETAS formosa recuset,  
*Alam* iure voces ; id quoque munus habet.  
Remige non citius volucris secat aëra penna,  
Quam PIETATE TVVS PRAESVL ad astra volet.

Si tamen et tremulae nomen tibi displicet *alae* ;  
*Ignis* erit : flammam feruide reddis amor.  
 Hoc TVVS ANTISTES PIETATIS aduritur *igne* :  
 Hic agit in venas , sacraque corda rapit.  
 Quae quondam teneros fuerat scintilla sub annos,  
 Creuit in immensum larga fauilla rogam.  
 Vritur , vt , rapidis ignem exercentibus Aultris ,  
 Fertilis , ambufstis messibus , ardet ager.  
 Nec iam sancta suum PIETAS bene condidit ignem ;  
 Pectore quas nutrit , monstrat et ore faces.  
 Nam male disimulat , quisquis contexerit ignem ,  
 Lumine qui semper panditur ipse suo.  
 Iam non sola sonat PIETATEM PRINCIPIS aula :  
 Haec pro laude VIRI non satis oris habet.  
 Per fora , perque domos , per compita fama vagatur ;  
 Cunctaque de sancto PRAESVLE lingua canit.  
 Si fileant homines , vel garrula templa perorent ,  
 Saxaque facundi Rhetoris instar erunt.  
 Vidisti liquidam glacie consistere Salzam ;  
 Non homines tulerant frigora , nonque pecus.  
 PRINCIPIS aut PIETAS , Boream quoque vincere docta ,  
 Disita templa petit , teque fatigat , hiems !  
 Vidisti nocuis agitata caloribus arua :  
 Torrebat modicas firius ardor aquas.  
 Aut PIETAS rabidum contempsit fortior aestum :  
 Hac PRAESVL Superis , dignus et IPSE , litat.  
 Saepe tulit nimbos , pendenti nube solutos ,  
 Feruidus et mediis *imbribus ignis* erat.  
 Hei mihi ! quot gemitus tristi labuntur ab ore ,  
 Vt duri reuocet stricta flagella poli ?  
 Hei mihi ! quot lacrimis humentia strata rigantur ,  
 Vt fiat rigidi mitior ira DEI ?  
 HIC vos voce praeit , ter sanctaque Numina laudat :  
 Plebs vocem sequitur , PRAESVLE mota SVO.  
 Nam velut asfimilant rapidae sibi proxima flammae ,  
 Et vicina suo turbine tecta terunt ;  
 Sic rapiunt praeclara DVCIS vestigia vulgus ,  
 Et populi flammis regia flamma mouet.  
 Inde per adiectas feruor diffunditur oras ,  
 PRINCIPIS et mores , qua patet , haurit ager.  
 Inde beata subit montanas missio terras ,  
 Floret et in pigris vallibus alma fides.  
 Victa suas sedes Lutheri secta relinquit ,  
 Porrigit aut promptas ad pia verba manus.  
 IPSE nouum PRINCEPS ardorem montibus infert ,  
 Quaque pedes figit , sanctior aura tepet.  
 Rustica corda DEO iamiam propiore liquefcunt ,  
 Moxque rudi veniet maxima mellis agro.

Tantaque dum PRINCEPS in caelica Numina confert,  
 Ingratus meritis num queat esse DEVS ?

In caput acta prius volentur ab aequore retro  
 Flumina, conuersis lunaque curret equis,  
 Quam condigna neget virtuti praemia caelum,  
 Quam carcat PIETAS munere tanta suo.  
 Astra colat PRAESVL, contendat, vt astra colantur;  
 HVNC tamen, atque SVOS non simul astra colant?  
 Nocte, dieque pio DVX pectore Numen adoret:  
 ILLI nulla DEVS signa fauoris agat?  
 Quis furor ingratum fingit pro munere Numen?  
 Quis, placuisse DEO candida dona, neget?  
 Si tamen exspectas, verbis quoque pondus vt addam,  
 Nuntiat haud mendax, perlege, cuncta liber.  
 Biblia perlustra: non fallere Biblia norunt:  
 Inuenies verbis consona verba meis.  
 Quisquis regna sibi primum caelestia quaerit,  
 Illi cura DEI cetera cuncta dabit.  
 Hoc magis Abrami creuerunt pascua, cordis  
 Quo magis in Superos seruidus ardor erat.  
 Cur non aequa ferant Abrami praemia nati,  
 Consimili referunt si PIETATE patrem?  
 Iacobum gens foeta sinu praediuite complet:  
 Tantum nempe Viro profuit, esse PIVM.  
 Aurea iesséo redierunt secula Rege:  
 Immensis PIETAS censibus auxit opes.  
 Ille, cui naus ditata recurrit ab Ophir,  
 Felix esse nequit, dum PIVS esse timet.  
 Cur antiqua tamen peruoluimus acta parentum?  
 Adfunt in propria non minus apta domo.  
 Aspice Pontificum fastos, et fata tuorum,  
 Quos undena super secla Iuuaua tenet.  
 Semper diuitiis, semper florebat honore,  
 Qui sancto coluit Numen amore suum.  
 Quid memorem stabili Rupertum laude perennem,  
 Qui constructa suo tecta labore fouet?  
 Quid monumenta loquar, quae Virgiliana per urbem  
 Erexit Pietas, consolidatque fauor?  
 Vt millena dein reliquorum facta recondam,  
 Quos cecinisse labor tempore maior erit;  
 Quis Leonardeae condigna encomia famae,  
 Quis Paridi, Ernesto, quae meruere, feret?  
 Hos PIETAS nitidis ornabat grata coronis:  
 His regimen felix astra rogata dabant.  
 Nam pretium virtutis erit, dum sidera currunt,  
 Gramina dum tellus, dum freta piscis habet.  
 Hos TVVS ANTISTES post se PIETATE relinquit:  
 Hos mercede simul vincere dignus erit.  
 Hunc si conspiciat, quod conspicit omnia, Numen,  
 Depluet in canum prospera cuncta DVCEM.  
 Haec post dicta silet. Votis ego vota rependo:  
 Pollicitis, fidum Numen, adesto Tuis!

# PARS SECVNDA.

## MVNIFICENTIA ERGA SVBDITVM.

**P**OSTQVAM visa patent primi praefagia fulcri,  
Nunc pedis alterius noscere fensa lubet.  
Qualis ab argento vibratur in aethera fulgor,  
Talis erat : scythica canduit ille niue.  
Haerebam tacitus, dubiusque, quid ansa notaret  
Candida? quae vati mitia vota daret?  
Haerentem placido *Virtus* blandissima vultu  
Adspicit, et similes protulit ore sonos:  
Pes, en, alter adest, candore probandus ab ipso;  
Cuius ab argento forma venusta venit.  
Formae causa subest; non res minus apta figurae:  
Materies nomen prodit et ipsa suum.  
Praesidet argento nam MVNIFICENTIA virtus:  
Illa manu nummos, candida dona, tenet.  
Haec etiam VESTRO virtus in PRINCIPE summa est:  
Si nescis, doctum conscia fama facit.  
Hoc pede consistit, quem fors deturbat ab alto:  
Ni pes iste tenet, pauper vbique iacet.  
Hoc pede nituntur vexati casibus Iri:  
Codre! per hunc tripodem, quo tenearis, habes.  
Non sic irrigui diffundunt viscera fontes:  
Non sic fidereas depluit imber aquas,  
Vt sua MVNIFICVS dispergit pectora PRAESVL,  
Dum pulsat patulas indiga turba fores.  
Quae tenet, haec pietas cunctis communia reddit:  
Pauperis obsequio gaza reclusa patet.  
Accipit, vt possit concedere: munera caelum  
Quae dedit, haec tellus distribuenda feret.  
Nilum iure voces, cui prodiga lympha tumescit,  
Vt bibat effusas languida Memphis aquas.  
Quod gravido debent memphitica iugera Nilo,  
Pauper id a largo PRINCIPE Salza trahit.  
Vt redit, itque frequens fossum formica per aruum,  
Horrea dum pingui ditia messe videt:  
Vt sua faxa petunt, timidissima turba, columbae:  
Vt sequitur matrem: debilis agna suam:  
PRAESVLIS egregii sic pauper testa requirit:  
Quod tenet ille, simul subdita corda trahunt.  
Quis vacuus celsa discesserat ILLIVS aula?  
ILLI quis parcam dixerit esse manum?  
Paruule, quid teneros lacrymis corrumpis ocellos?  
Quod proli pater est, hoc Tibi PRAESVL erit.

\*\*\*

Surge



Surge, decens aetas, primæ pia turba iuuentæ,  
 Quos inopes reddit fors fera, morsue patrum.  
 Vos fouet ILLE finu, plumatæ more volucris:  
 Vos, veluti pullos mater amica, tegit.  
 Est patris ILLE loco: matrem quoque supplet amore;  
 Munera nec tantus bina recusat amor.  
 Eia age, plaude tibi Musarum pauper alumne!  
 Mæcenas, studiis qui fauet, alter adest.  
 HIC tibi pandit iter doctas ad Palladis artes:  
 HIC tibi pegaseæ flumina monstrat aquæ.  
 Ditiôr HVIVS erit, magis atque argentea vena,  
 Quam cui mota vias vngula fecit equi.  
 Siftite iam lacrymas, viduarum squallida turba!  
 Imponet timidis fletibus ILLE modum.  
 Vt lacrymæ profint, lacrymas tamen ante mouetur,  
 Præuenit et planctum, qui bene torquet, amor.  
 ILLE viri largæ compensat funera dextra,  
 Atque nihil, nupto quod dedit ante, negat.  
 Nec mihi testis abest; quin toto noscitur orbe,  
 Quam faciles miseris porrigat ILLE manus.  
 Si monumenta petis, *Vaginga* recentia præstat,  
 Cui ferus arsuras perdidit ignis opes.  
 Flent proles cum matre piæ, cum coniuge nuptæ:  
 Et fletu, et flammis rorat, & ardet humus.  
 Testa, domusque ruunt: fumat peritura supellex:  
 Quidquid vicus habet, flamma maligna, tuum est.  
 Hic dolor vnus erat, facies non vna doloris:  
 Pars laniat vestes, pars sine mente furit:  
 Altera moesta tacet, properam vocat altera mortem:  
 Hic queritur, stupet hæc, hic manet, illa fugit.  
 Arsit et Vcalegon: ardet iam proximus illi:  
 A rapido vento concita flamma volat.  
 Flamma volet, miserans quoque PRAESVLIS aduolat ardor,  
 Sanat et ILLE opibus vulnera facta suis.  
 Largior HIC læsis fuerat, quam sæuior ignis:  
 Munera plura dedit, quam vaga flamma tulit.  
 Hic poterat felix, quicumque miserrimus esse,  
 Maius et hic damnum muneris instar erat.  
 Hic PRAESVL dextraque iuuat, solatur et ore,  
 Commendans vultu dulcia dona suo.  
 O quot blanda suæ sensit figi oscula dextræ!  
 O quanta ad Superos plebs pia vota tulit!  
 Vota senex geminat, quem candida munera tangunt:  
 Vota, licet blæso deprimit ore puer.  
 Vota libant viduæ, dum dona nitentia prensant:  
 Vota puella canit, dum petit aucta lares.  
 Et tot vota DEVS crudeli voce repellat?  
 Et careant fructu feruida verba suo?

Ante graves agili pascentur in aequore tauri :  
 Ante ferum pallens conteret agna lupum,  
 Quam tot getta pio mercedem a Numine perdant,  
 Et neglecta nihil foenoris inde ferant.  
 Spargitur haud frustra missum pro paupere semen :  
 Non unquam dominos iste sefellit ager.  
 Qui dedit, huic dabitur : sequitur pro munere munus :  
 Qui bene largitur, mox bene carpet opes.  
 Quod TIBI terra tulit, rursus TIBI sidera mittent :  
 Perdis, et in damno gratia magna TVO est.  
 Expunget contracta polus TIBI nomina, donans  
 Felices annos, et sine labe dies.  
 Haec dicens *Virtus* conclusit et altera vota,  
 Fataque, quae tripodis fulcra secunda dabant.  
 Dii seruent similes TE, PRAESVL summe, per annos,  
 Et cantata TIBI vota secunda putem.

## PARS TERTIA. RIGOR ERGA SE IPSVM.

**Q**VAMQVAM quid multis terrestria munera narro ?  
 Quidque TIBI, PRINCEPS, dona caduca precor?  
 Non terrena sapis, non sordida commoda poscis :  
 Nobis terra, TIBI conspiciturque polus.  
 Quin dum terra suum promittit grata fauorem ;  
 Nomina, delicias, gaudia vana fugis.  
 Summa TIBI TECVM sanctae INCLEMENTIA mentis.  
 Forsitan iste RIGOR tertia fulcra notat.  
 Haec ego conspiciens, atque aerea brachia cernens,  
 Ad Dominam rursus lumina flexa tuli.  
 Pande, precor, dixi, quid poscunt flaua metalla,  
 Quaeque DVCI NOSTRO vota per aera fluunt ?  
 Arridet solito mihi Pythia sanctior ore,  
 Et lingua profert, quos mea penna, sonos.  
 Vltimus iste pedum, non est tamen vltima virtus,  
 Qua nitet excelsi mens generosa DV CIS.  
 Nobilis hic RIGOR est, quo SE defaecuit in ipsum :  
 Optimus est aliis, pessimus atque SIBI.  
 Cernis, vt aere rigent extremo cardine fulcra ?  
 Quam signant, Virtus non minus aere riget.  
 Aerea iure mihi, quin posset ferrea dici ;  
 Aspera nam mater ferrea gesta parit.  
 Et fitis, atque fames illius ab vbere pendent :  
 Nec sudor lateri, nec labor vllus abest.  
 Haec tamen amplexus a cello PRINCIPE captat :  
 Hanc colit, hanc gremio nocte, dieque fouet.

Quam

Quam stricta feruet ieiunia languida lege,  
 Quis vel phoebeo dixerit ore fatis?  
 Mensa quod apponit, prohibet consumere virtus:  
 Et prae deliciis sobria vita placet.  
 Quidquid silua solet nigrarum ferre ferarum:  
 Quaecumque aequoreo litore concha iacet:  
 Quidquid alit tellus, quidquid vagus educat aether,  
 Quidquid et vnda suo pisce natata fouet:  
 Omnia principibus sunt vectigalia iura;  
 Cunctaque pro domino gutture fercla ferunt.  
 Sudet sub dapibus constrata tapetibus aula,  
 Mensaque nectareum ferre recuset onus.  
 ILLE, superpositis pietate fragrantior escis,  
 Lumina vix pascit, labra ligata tenet.  
 Dolia longaeuum despument massica vinum:  
 Effundant tremulum vasa falerna merum.  
 ILLI dant positis virtutem pocula mensis:  
 Est aliquid, praeter vina, quod inde petat.  
 Nempe voluptates licitas quoque mente relegat,  
 Sanctior et refugit Tantalus ore dapes.  
 Quadraginta dies dum fercla minora reposcunt,  
 HVNC non esca replet, pascit at aura leuis.  
 Si Dominae Superum solennia festa recurrunt,  
 Nullum virgineo decoquit ore cibum.  
 Vnde aliquis tam mira videns peregrinus in aula,  
 Exiguo dixit talia verba sono:  
 Haec vitae methodus viuendi caelica norma est:  
 HIC PRINCEPS aliquid corpore maius habet.  
 Quid memorem tacitos, quos fert sine fine, labores,  
 Et quae nulla modum noxque diesque facit?  
 Nam numquam desunt, quae sedula membra fatigent;  
 Postque graues curas cura nouata venit.  
 Plebs vacat a posito, rebus perfuncta, labore,  
 Sternit et in molli corpora fessa toro;  
 Quum vigilans PRINCEPS aut Numen pronus adorat,  
 Prouidus aut Rector publica scripta legit.  
 Ardua res, thronus est; res est magis ardua, mytra:  
 Vtraque non minimo pondere pectus agit.  
 Dicere ius populis, animabus pandere caelum,  
 Herculea magis est lubricus arte labor.  
 Cuncta tamen tentat, complanat et omnia, solus,  
 Quod centum, rapida perficit ipse manu.  
 Cuncta legit, lustrat peracuto lumine cuncta;  
 Ardor et intactum nil finit esse suus.  
 Nec tamen ingenti languescit pondere corpus:  
 Nec tamen in tantis deficit IPSE malis;  
 Gratia nam summi conseruat Numinis, atque  
 Viribus haud visi pascitur ILLE cibi:  
 Perfert, obdurat, nec tempestate, nec armis  
 Vincitur, audaces ridet et vsque minas.

Nox et hiems, longaeque viae, tristesque dolores  
Non frangunt animum: corpora firma rigent.

Et non absque suo labentur talia fructu:

Virtus Auctori praemia pacta dabit.

A grano fruticem, plantamque a semine speras?

Contumula granum; femina mergat humus.

Quod viuum sine flore fuit, fert morte peremptum

Centiferos quaestus, horrea messe replet.

Sic animae, virtus quas enecat alma RIGORE,

Austeri pretium grande laboris habent.

Prodest, multa pati; passio sua commoda dantur:

Ardua cum multo foenore poena redit.

Quo magis impediens a PRAESVLE terra recedit,

Hoc magis a supero pectora rore madent.

Florent cuncta diu sub tanti PRINCIPIS vmbra.

Hic solet effectus candida facta sequi.

Tempora grata fluunt, versis ad prospera fatis,

Laetaque fors, aliquo tempore fienda, fauet.

Incipiunt gravidae Martis vanescere nubes,

Victaque bellantis frangitur ira soli.

Cessant inuisi damnosa pericula ferri:

Pro lauro campos mitis oliua tenet.

Qua steterat miles, pinguescunt frugibus arua:

Pacifico cultus milite gaudet ager.

Aspera frugiferis mutata ligonibus arma:

Qui tormenta prius, taurus aratra trahit.

Aurea pax rediit: stat patria ciuibus aucta;

Pellitur et vento nostra carina suo.

Florent arua, Ducis multo sudore rigata:

Voluit honoratas ditior annis aquas.

Commoda rus sentit: pauper quoque cornua sumit,

Spernit et vrbanas Flora superba deas.

Aduolat externis multus mercator ab oris,

Cumque opibus merces aduehit ipse suas.

Crescunt antra salis maculoso splendida topio,

Cumque suo Domino plena RIGORE nitent.

Montibus in summis oritur faecundius aurum,

Quaeque diu latuit, vena beata patet.

Externo noster celebratur Pindus honore;

Plures discipulos ad sua templa trahit.

Applaudit tellus, caelum dedit incrementum:

Haec fecit virtus, PRAESVL amande, TVA.

Tandem quid fiet, dum nunc noua messis in herba est?

Nam mora erit voti plus studiosa mei.

Praemia magna quidem, sed non indebita portas:

Das causam voto, principiumque meo.

\*\*\*\*

CON-

# CONCLUSIO.

**D**IXERAT haec. Sed et haec, et multo plura libebat  
Dicere; materiem labilis hora fecat.

Ergo invita filet, tacitasque recedit in auras.

Laudator tanti, Diua, fauoris ero!

Quae dixit, rata sint: nil frustra dixerit, opto:

Deferat in portus spes mea vota suos.

Tum simul ille TRIPVS caelo contactus ab alto est,

Qui tamen in NOSTRO PRINCIPE viuus adest.

Hoc pede tentat iter caelo; vult astra subire:

Sit! fubeat, sero sed tamen, ILLE polum.

Credite portento. De Magno maxima vidi:

Saepe solet magnis rebus inesse fides.

Haec mihi non pecorum vibrae, flammaeue recentes,

Aut laeuum tonitru, caesae dixit ouis:

Augurium ratio est, et regula certa futuri:

Numinis haec verbo cognita fata fluunt.

Hoc mihi vota dedit, venturaque tempora dixit:

Exitus in Diis est, certus at ille tamen.

A *virtute* bonum quisquis procedere credit,

Non dabit immitti verba ferenda Noto.

Non *virtute* tripus, non certior ipse Apollo est.

Numquam cultorem decipit ista suum.

Ergo agito, praesens iucundae gloria Salzae,

Quocum nostra timens statque, caditque falus.

Tanta TIBI placeat praesagi audacia vatis:

Audaces meritis cogimur esse TVIS.

Suscipe vota pius, numero nosque, adde TVORVM:

Quidquid namque fumus, muneris omne TVI est.

V. I. O. G. D.

